

25
 tem propter peccatum ablatam, pœnitentiã non recuperari &c. errabit in singulis stolidè; sed nescio an Quesnellus errori suo speciosius ex eadem parabola eliciat argumentum. Hinc pariter colligitur, cur novatores omnes, & hæretici tam avidè mulieribus, & imperitissimæ plebi obrudant Sacros Codices; quia nullus error tam absonus est, ad quem textus aliquis obscurior à sophista malevolo trahi nequeat, quantumcunque repugnans, & errori certissimè contrarius.

Prima itaque Quesnelli propositio jure optimo à CLEMENTE XI. rejecta, & condemnata est: neque conqueri Author potest, quòd inter hæreticas, & aliis respectivè censuris notatas collocata sit. Forte S. Cyprianus lib. contra Novatianum vocaret *Cainam hæresim*, quæ non nisi occidere gessit; si enim in quolibet peccatore est *generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, Sacramentum pœnitentiæ peccatoribus eripitur, atque ipsa fit illis pœnitentia impossibilis. Unde & illud Constantini Imperatoris dictum Acesio Novatianorum Episcopo, applicari Quesnello possit: *O Acesi, pone scalam, & si poteris, ascende solus in Cælum.*

CAPUT II.

Adversarii objecta diluuntur: præcluditur effugium: Catholica veritas uberius declaratur.

FRivola quædam ad ostentationem magis, & imperitorum seductionem, quam ad serium erroris firmamentum ab adversariis proferuntur, quale est illud Concilii 2. Araucanici: *Hoc Deo propitiante, & predicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenit. Quid in his Concilii verbis est, quod non omnes omnium temporum Catholici profitentur? Quis enim dubitet, quin per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut diligere Deum sicut oportet &c. possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenit?*

Procul dubio post peccatum primi hominis indignimus gratiã Liberatoris, sinè qua diligere Deum, credere in Deum, & reliqua, sicut oportet, bona propter Deum operari minime possumus. Ideo gratia, & misericordia Divina nos prævenit. At juxta damnatum articulum quævis anima, quæ Deum, atque ejus

gratiam, seu amicitiam amisit, ita deferitur à Deo, ut nullum ei auxilium sufficiens ad opus salutiferum præstet; sed eum relinquat *in generali impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*. Videtur quidem Quesnellus, ut damnati articuli duritiem mitiget, velle eum nunc à significatione propria, & magis obvia abstrahere, quasi *amittere Deum, atque ipsius gratiam*, hic non dicatur omnis, qui lethiferè peccando Dei amicitia, & gratiã sanctificante excidit; sed is solum, qui omni etiam actuali auxilio in peccati pœnam privatur. Verùm excusatio inepta est: Nam manifestè nimium supponit, & insinuat articulus, omnem animam, hoc ipso quo Deum, & ejus gratiam, seu amicitiam amisit, destitui à Deo pariter, absque omni sufficienti subsidio ad virtutem, ut nihil ei remaneat nisi peccatum, & peccati consecutiones cum *generali ad omne opus bonum impotentia*. Præterea à veritate, & doctrinã sanã alienum est, peccatores ullos ita à Deo abjici in hac vita, ut dum rationis compotes manent, nulla eis ad respiscendum, nulla ad orandum, aut ad ullum opus bonum gratia sufficiens offeratur.

Oppositum docemur à Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. Firmiter. *Si, inquit, post susceptionem Baptismi quispiam relapsus fuerit, per veram pœnitentiam semper potest reparari*. Non minùs dilucidè Doctor Angelicus par. 3. quæst. 52. art. 6. ad 3. *Homines quamdiu vivunt, possunt ad fidem, & charitatem converti; quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vitã. Ibid. quæst. 86. art. 1. C. Dicere, quòd aliquod peccatum sit in hac vita, de quo aliquis pœnitere non possit, erroneum est; quia per hoc tolleretur libertas arbitrii, & derogaretur virtuti gratiæ cujuscunque peccatoris ad pœnitendum*. Plura hæretico huic primæ propositionis sensui clarè adversantia, & irrefragabilia proferam ex tota antiquitate, etiam ex Scripturarum oraculis testimonia, ubi contra proximè sequentes damnatos articulos disputabitur. Ait Quesnellus doctrinam suam fundari in illo Christi: *Sinè me nihil potestis facere*. Verùm dicitne Christus, se peccatoribus, vel omnibus, vel multis, vel aliquibus saltè deesse, qui omnes, nemine penitens excepto, ad se peccatores invitat, omnibus auxilium spondet, & reconciliationem? *Matth. 11. v. 29. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ultimum Quesnellus præsidium statuit in sententiã Ludovici Granatensis parte 2. Memorialis, ubi de primi hominis peccato refertur sic enuntians: „ Adcò pauper, nudus, & ad omne bonum ineptus homo ex

„ pec-